

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Volvntarivm Imperii Consortivm Inter Fridericvm Avstriacvm Et Lvdoovicvm Bavarvm Avgg.

**Köhler, Johann David
Baumann, Johann Friedrich**

Altdorfii, 1733

VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130795)

VII.

FRIDERICVS et LVDOVICVS, Amici reconciliati, in his angustiis constituti, cum frustra laborassent de Leopoldo in suas partes pertrahendo, eumque commovendo, ut Pacta subscriberet, consilia plane nova ceperunt, ut everterent Pontificis conatus, qui Imperium utrique eripere, et destinare Carolo Pulchro, Regi Francorum, moliebatur. Nimirum jam diu tractatum fuerat inter hunc Regem ac Pontificem, Proceresque Germaniæ, ut, propter dissensiones Ludovici et Friderici in discordia electorum Regum Romanorum, ipse illis substitueretur. Leopoldus quoque, Dux Austriæ, hoc per suos Nuncios egit, ut Ludovico novum æmulum excitaret. *vid. ALBERTVS ARGENT. pag. 123. et VILLANVS Lib. IX. C. 268.* Sed displicuit BALDVINO, *ArchiEpiscopo Trevirensi*, et JOHANNI, *Regi Bohemia*, Electoribus, Studium promovendi exterum Regem ad Fastigium Augustale, *vid. HENR.*

Historia posterioris pacti Monacensis A. 1315. d. 7. Sept. de Friderici & Ludovici æquali administratione Imperii imposturum instituenda.

REBDORF. *in annal. p. 612. l. c.* quibus accesserunt alii Principes Germaniæ, faventes potius Friderico, et missis Oratoribus flagitantes à Pontifice, ut Fridericum, Regem Romanorum declararet. Mentem Pontificis ad hanc petitionem eorum nobis declarat Responsio ejusdem ad Johannem, Episcopum Argentinensem, d. d. iv. Sept. A. 1325. hujus tenoris:

JOANNES etc. JOANNI, EPISCOPO
ARGENTINENSI.

Sane, Frater, mirati fuimus admodum, quod Nuncii prædicti Electionem de magnifico Viro, Friderico, Duce Austriæ, in Regem Romanorum dudum discorditer celebratam Decreto Electionis non oblato, nec data Informatione alia super ea coram nobis petierunt infra brevis temporis spatium confirmari. Et ut Responsionem, quam super propositis hujusmodi fecimus, non ignores, ecce, quod tam ipsis Nunciis verbo, quam dilecto Filio, nobili Viro, Alberto, Duci Austriæ, Literis taliter duximus respondendum, videlicet quod super isto negotio parati sumus promte et expedite, cum Fratrum nostrorum consilio, sicut et requirit negotii

-qua-

qualitas, Justitiam exhibere, et adhuc graciose et favorabiliter, quantum sine Dei offensa, suaeque sanctae Ecclesiae praedjudicio, ac injuria Principum, ad quos Electio Regis Romanorum, promovendi in Imperatorem pertinere noscitur, poterit fieri, cum hoc opportune postulatum fuerit, nos habere. Datum Avinione II. Non. Septembris Anno IX. Vid. RAYNALDVS l. c. §. 5. p. 298. Noluit tamen Fridericus, offensam etiam metuens Ludovici, in simulata Pontificis Benevolentia, quam ex abolitione transactionis Trausnizianae jam cognoverat, spem novam collocare, ac Ludovicus, veritus, ne conspiratione Pontificis atque à se alienatorum Principum, Imperium tandem vel dimisso ex custodia Friderico addiceretur, vel nova Electione indicta, ad Regem Franciae, Carolum, transferretur, maluit potius in nova Pacta cum Friderico de Communione Imperii, inter utrumque imposterum instituenta, descendere, atque hac Societate securitati utriusque consulere, quam concedere, ut vel Fridericus, vel Carolus, Rex Gallorum, se excluso, omnibusque Praesidiis destituto, ex Auctori-

toritate Pontificis, sibi tam maxime infensi, Summa Rerum in Regno Germaniæ et Imperio Romano potiretur. Atque hæc sunt nova illa et tempore posteriora Pacta, abolitibus prioribus die XIII. Martii hujus anni Trausnizii conscriptis, die VII. Septembris Monachii sancita, quæ evulgarunt CVSPINIANVS, FVGGERS, et LAMBE CIVS, et quæ Boici Scriptores plane rejecerunt, non attendentes ad rerum gestarum seriem à nobis hæctenus secundum optima monumenta expositam.

VIII.

III) ex Suffragiis
Historicorum.
1) Coævorum.

Fortissime urgent Scriptores Boici silentium Scriptorum coævorum de tam memorabili Consortio Imperii inter FRIDERICVM et LVDOVICVM, Cæsares reconciliatos, instituto, sed neque hic nobis defunt eorum suffragia. Provocamus itaque *primò* ad PETRVM, Abbatem synchronum, cujus hæc sunt verba, in *Chronica Aule Regiæ*, c. 15. p. 48. ad A. 1325. in *Freheri Script. rer. Bohem.* p. 48.
Ludo-

a) Petri Abbatis
aule regiæ.